



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VI. Itemque Franciscus Episcopus Darbiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

plura visa fuisset, quin & Julius Pontifex à prædecessore suo impetratam dispensationem novâ Bullâ confirmaverat.

VI. Accidit eo tempore, ut ex Francia legati adessent, qui Mariam Walliæ Principem, Delphino antea promissam, Aurelianensi nunc Duci nuptû dari peccerent. Henricus, postquam Legatos magnifice accepisset, auctor fuit Volsæo, ut ipse Episcopo Tarbiensi, qui fuit Legatorum unus, negocium aperiret, non quidem Regis sed sui ipsius nomine, ut qui Francicam Anglicamque familias arctiore adhuc vinculo, per matrimonium Henrici cum sorore Regis Francisci, conglutinari summopere exoptaret. Volsæus cû Tarbiensi congressus, rem ita illi exponit privatim, tanquam si nullam, nisi ipsi soli, aperuisset. Episcopus à Volsæo circumventus, facileque persuasus, rem esse non ita magni negocii, in senatu Regis (ut fere Legati in iis, quæ ad Principum suorum utilitatem spectant, minime muti sunt) bellam orationem habet, & non quidem jam Valliæ Principissam petit, sed matrimonii inter Henricum & Margaritam Francicam mentionem proponit: utque matrimonium illud, quo jam rex tenebatur, illegitimum esse probaret, mille mendacia verbis suis admiscet. Rex, tanquam si ea res sibi nova, atque antehac inaudita ad aures accideret, attonito similis, ægre ferre se simulat, quod controversia super ea removeretur: tamen, ut conscientiam suam, majoribus, quam hoc erat, onerata crimini- bus, exoneraret, deliberandum amplius censer, certus nihilominus apud seipsum, progredi ulterius, si quos in consilium prius adhibuerat, idem adhuc sentirent.

Dum hæc in Anglia geruntur, non longè absuit Romæ excidium. Decreverat Carolus Bourbonius crudelius eam tractare, quam olim fecerunt veteres Galli: & nisi Deus ejus conatibus obstisset tum, quum sacra moenia tormentis quateret, flamma & sanguine totam replevisset. Nun- tiatur in Angliam, Papam Clementem VII. captivum teneri. Quâ arrepta occasione Cardinalis Volsæus Regem monet, ut triumphos suos au- geat, quumque scripto adversus Lutherum libro de septem Sacramentis, titulum Defenso- ris fidei sibi jam acquisiverit, gloriam istam nova gloria accumularet, Pontifice, quem Imperator captivum teneret, ex tam præsentis discrimine erepto. Rex, consilium istud sibi emolumento fu- turum ratus, sperabat, ita se posse suo sumptu Ro-

manum Pontificem sibi demereri, ut novum matri- monium contrahendi, uxoremque suam Cœnobio alicui includendi, facile veniam potestatemque sit obtenturus. Itaque sine mora Volsæum in Gallias cum trecentis aureorum millibus, & collegis duobus mittit. Volsæo mandata quædam occulta seorsim dat ad Regem Franciscum I. perferenda, de divortio Catharinæ, de matrimonio cum Regis sorore, & de filiis ejusdem duobus ex Cæsaris manu eripiendis. Lætus legatione Volsæus, mare tra- jicit. Sed dum Calcei agit, novas ab Henrico litem accipit, ut ne ullum de novo matrimonio cum Regis Galliarum sorore ineundo verbum faceret, sed tantum de reliquis articulis. Vehementer indignabatur Volsæus, videns prohibitum sibi esse, quod omnium maxime in votis habebat. Erat enim illa propositum, per novas illas nuptias Regem Christianissimum totum sibi obstringere atque obligare, ut eo deinde contra Imperatorem u- teretur. Legationem nihilominus confecit: cujus is fuit successus, quem Rex volebat, quemadmo- dam infra à nobis dicetur.

HENRICVS VIII. PETIT A PONTIFICE:

judices qui de divortio cognoscant, qui dati mox revocantur. Volsæus gratia regis excidit.

CAPUT SECUNDUM.

A R G V M E N T V M.

- I. *Annæ Bolenæ natales & mores.*
- II. *E. Francia revertens, singularem castitatem simulat.*
- III. *Quibus artibus Volsæus Cardinalis divortium inter Henricum & Catharinam apud Pontificem procurare conatus sit.*
- IV. *Novi à Pontifice judices qui de divortio Henrici regis cognoscant, constituuntur. Laurentius Campegius & Thomas Volsæus Cardinales.*
- V. *Campegius Cardinalis in Angliam profecti, cum Rege congressus & colloquium.*
- VI. *Volsæus sententiam pronunciat, non accepta prius à S. Sede Apostolica potestate.*

I. **D**um Volsæus consiliis suis in Franciam abripitur, Henricus in Anglia defixus, aliud nihil animo versat, nisi cædiam Reginæ, & Annæ Bolenæ amorē. In igne non tantum spectatur, quam